DE VOCABULIS GRAECANICIS
QUAE TRADUNTUR
IN INSCRIPTIONIBUS CARMINUM
HORATIANORUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS ZARNCKE

LIPSIENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXX.

Buchdruckerei von G. Otto in Darmstadt.

§. I.

Notum est Horatii carminum inscriptionibus in codicibus aliquot Graeca addi adiectiva, quae adposita esse videantur ad universam singulorum carminum indolem designandam. Quae notationes unde originem ducant et quo iure illis carminibus attribuantur, operae pretium videtur diligentius perscrutari.

Est autem in significationibus addendis nulla in eis codicibus qui in censum veniunt constantia: cum neque omnes codices constanter epitheta illa praebeant, verum pars ea exhibeat pars omittat, neque in eiusdem carminis significatione omnes ubique consentiant. Atque codices hi sunt – utor notis editionis Kellerianae maioris —:

- *A* = cod. Parisinus 7900ª saec. IX–X olim Puteaneus.
- *B* = cod. Bernensis 363 saec. IX olim Floriacensis.
- *F* = liber archetypus codicum Parisinorum 7974 et 7971 saec. X φ et ψ, alterius olim Puteanei, alterius olim Floriacensis.
- λ = codex Parisinus 7972 saec. X olim Mentellianus.
- γ = cod. Parisinus 7975 saec. XI.
- τ = cod. Turicensis Carolinus 6 saec. X olim Mentellianus.
- π = cod. Parisinus 10310 saec. X.

Quibus in codicibus epitheta graecanica leguntur haec:[1]

allegorice	$\gamma\tau$ II 20 (allegorice vel paraenetice γ)
antapodotice	$F\gamma\pi$ III 9

[1] De epithetis graecis, quae in antiquioribus editionibus Horatii (veluti in Pulmanniana, Cruquiana et non paucis ex sequentibus) leguntur, accuratius aliquando agendum erit; propter editionum penuriam Argentorati hunc laborem perficere non potui. — Sero vidi codicem Horatii Oxoniensem (*Queen's College* P. 2) saec. X, quem contulit E. C. Wickham in editione Horatii (Oxonii 18 4, vol. I p. 388 sqq.) fere constanter eadem atque codicem *F* in carminum inscriptionibus praebere epitheta graecanica, nisi quod aliquanto plura quam *F* omisti Oxoniensis.

apotelestice	$F\lambda$ III 30
dicanice	$F\lambda\pi$ II 2
diastolice	$F\lambda\gamma$ III 19
encomiastice	AB II 2 $AB\lambda\gamma$ IIII 2. 4 (prosphonetice encomiastice). 8. 14
enthusiastice	$F\lambda\gamma$ II 19
erotice	$AB\lambda\gamma$ IIII 1 (euctice erotice). 10. 11 $F\lambda\gamma$ I 8. 13 $F\lambda$ I 19
eucharistice	$F\lambda\gamma$ I 36
euctice	$AB\lambda\gamma$ IIII 1 (euctice erotice) $F\lambda$ II 5 $F\lambda\gamma$ I 30. 31
hymnus	$AB\tau$ III 25 $F\lambda$ I 21 $F\gamma$ III 22 $F\lambda\gamma$ I 10. 12 (pros phonetice hymnus)

hypothetice	*ABτ* III 27 *Fλ* I 6 *Fλγ* I 15. II 16.18 (paraenetice vel hypothetice). III 16
lerke	*Fλ* I 23
mentice	*Fλγ* III 15
paean	*ABλ* IIII 5 (paeanis species proseuctice)
palinodia	*Fλγ* I 16
paraenetice	*ABγ* III 28. 29 (prosphonetice ⸗ paraenetice *γ*) *ABλγ* IIII 7. 12. 13 *Fλ* I 4. 7. 14 *Fλγ* I 9. 17. 18. 33. II 3 (paraenetice immo [*om. λ*] symbuleut.). 9. 18 (paraen. vel hypothetice). 20 (allegorice vel paraenet. *γ*) III 12. 14. 17. 21 *γτ* II 17 (paraen. vel symbuleutice *γ*)
pragmatice	*B* I 1 *Fλγ* I 11. II 7 (pragm. vel prosphon. *γ*) *Fλ* III 1 *γ* II 1

prosagoreutice	$F\lambda\gamma\pi$ II 8
proseuctice	$A\lambda\gamma$ IIII 3 $AB\lambda\gamma$ IIII 5 (paeanis species proseuctice $AB\lambda$). 6 $F\lambda$ III 23 $F\lambda\gamma$ I 35. III 13. 18 $F\lambda\tau$ I 2 [$F\gamma$ carmen saecul.]
prosphonetice	$AB\lambda\gamma$ IIII 4 (prosphonetice encomiastice) $F\lambda$ I 3. 5. 20 $F\lambda\gamma$ I 12 (prosphonetice hymnus). 32. 37. 38. II 4. III 11. 27. 29 (prosph. paraenetice γ) $F\gamma\tau$ II 6 $\gamma\tau$ II 7 (pragmatice vel prosphonet. γ) γ II 2. 14. III 23 τ II 12
protreptice	τ II 4
syllogistice	$F\lambda$ III 28
symbuleutice	$F\lambda\gamma$ II 3 (paraenetice immo [*om.* λ] symbul.). 17. (paraenetice vel symbul. γ)
threnus	$F\lambda\gamma$ I 24

In ponendis autem neglegendisve illis inscriptionibus qualis sit codicum ratio, ex tabula quam p. 8—13 subieci elucebit.

Ex hoc indice primum notabilis in memoria codicum discrepantia apparet. Differt enim priorum trium librorum memoria a quarti ita ut in illis varia sit et parum constans secundum diversas codicum stirpes, in quarto libro una et eadem sine lectionum varietate. Atque cum in tribus prioribus libris duas praecipue familias discernamus, quarum altera (*AB*) graecanicas inscriptiones praeter carmina I 1. II 2. III 25. 27—29 nusquam, contra altera (*F*) eas in plerisque carminibus exhibeat, in quarto libro condicio plane commutata apparet; ibi enim altera (*AB*) fere ubique titulis Graecis instructa est, altera (*F*) eis praeter unam (IIII 10, si Kellero fides habenda est) caret. Quam rem explicavit Kiesslingius in „commentatiuncula de Horatianorum carminum inscriptionibus“ [1], cuius verba haec sunt: „Is liber unde per priores tres libros tituli carminum in commune codicum *AB* archetypum transscripti sunt, etsi iam in priore parte mancus fuisse videtur, defecit certe in tertii libri fine, atque quarti libri praescripta ex alio codice suppleta sunt. Idem vero accidit in codicis *F* archetypo, ut liber ille unde inscriptiones describebantur in tertii libri exitu desineret. Desumpta igitur sunt ea praescripta ex codicibus qui tres priores carminum libros solos complectebantur. Tales autem extitisse codices vel id documento esse potest quod in libris nonnullis velut *Aλ* in tertii odarum libri fine diversorum lyricae poeseos generum enumeratio inserta est . . . . quae res quemadmodum permira est in medio exemplari, ita qui usu venire potuerit sua sponte intellegitur, si hoc loco codicum aliquod genus desiisse statuimus. Atque quod illi codices hoc loco defecerint, non casui tribuendum esse videtur, sed inde certe explicari potest quod prima carminum Horatianorum editio in tribus prioribus libris continebatur.“

Haec Kiesslingius; nobis autem paullo longius progredi

---

[1] Index scholarum in universitate litteraria Gryphiswaldensi per semestre aestivum anni MDCCCLXXVI habendarum p. 10.

Carmen	*A*	*B*	*F*
I 1	—	pragmatice	—
2	—	—	proseuctice
3	—	—	prosphonetice
4	—	—	paraenetice
5	—	—	prosphonetice
6	—	—	hypothetice
7	—	—	paraenetice
8	—	—	erotice
9	—	—	paraenetice
10	—	—	hymnus
11	—	—	pragmatice
12	—	—	prosphonetice hymnus
13	—	—	erotice
14	—	—	paraenetice
15	—	—	hypothetice
16	—	—	palinodia
17	—	—	paraenetice
18	—	—	paraenetice
19	—	—	erotice
20	—	—	prosphonetice
21	—	—	hymnus
22	—	—	—
23	—	—	lerke
24	—	—	threnus
25—29	—	—	—
30	—	—	euctice
31	—	—	euctice
32	—	—	prosphonetice
33	—	—	paraenetice
34	—	—	—
35	—	—	proseuctice
36	—	—	eucharistice
37	—	—	prosphonetice
38	—	—	prosphonetice

λ	γ	τ	π	Grammaticorum testimonia.
—	—	—	—	'pragmatice' Acro
proseuctice	—	proseuctice (?)	—	
prosphonetice	—	—	—	'proseuctice' Diomedes
paraenetice	—	—	—	
prosphonetice	—	—	—	
hypothetice	—	—	—	
paraenetice	—	—	—	
erotice	erotice	—		
paraenetice	paraenetice	—	—	
hymnus	hymnus	—	—	
pragmatice	pragmatice	—	—	
prosphon. hymnus	prosphon. hymnus	—	—	
erotice	erotice	—	—	ἐρωτικῶς Acro
paraenetice	—	—	—	
hypothetice	hypothetice	—	—	'hypothetice' Acro
palinodia	palinodia	—	—	'palinodia' Porphyr.
paraenetice	paraenetice	—	—	'paraenetice' Acro
paraenetice	paraenetice	—	—	
erotice	—	—	—	'erotice' Acro
prosphonetice	—	—	—	
hymnus	—	—	—	
—	—	—	—	
lerke	—	—	—	
threnus	threnus	—	—	θρῆνος Porphyr.
—	—	—	—	27 'protreptice' Porph.
euctice	euctice	—	—	
euctice	euctice	—	—	
prosphonetice	prosphonetice	—	—	
paraenetice	paraenetice	—	—	
—	—	—	—	
proseuctice	proseuctice	—	—	
eucharistice	eucharistice	—	—	
prosphonetice	prosphonetice	—	—	
prosphonetice	prosphonetice	—	—	

Carmen	*A*	*B*	*F*
II 1	—	—	—
2	encomiastice	encomiastice	dicanice
3	—	—	paraenetice immo symbuleutice
4	—	—	prosphonetice
5	—	—	euctice
6	—	—	prosphonetice
7	—	—	pragmatice
8	—	—	prosagoreutice
9	—	—	paraenetice
10	—	—	—
11	—	—	—
12	—	—	—
13	—	—	—
14	—	—	—
15	—	—	—
16	—	—	hypothetice
17	—	—	symbuleutice
18	—	—	paraenetice vel hypothetice
19	—	—	enthusiastice
20	—	—	paraenetice
III 1	—	—	pragmatice
2	—	—	—
3—8	—	—	—
9	—	—	antapodotice
10	—	—	—
11	—	—	prosphonetice
12	—	—	paraenetice
13	—	—	proseuctice
14	—	—	paraenetice

λ	γ	τ	π	Grammaticorum testimonia.
—	pragmatice	—	—	'pragmatice' Acro
dicanice	prosphonet.	—	dicanice	
araenet. symbuleutice	paraenet. immo symbuleutice	—	—	
rosphonet.	prosphonet.	protreptice	—	
euctice	—	—	—	
rosphonetice)	prosphonetice	prosphonetice	—	
ragmatice	pragmatice vel prosphonetice	prosphonetice	—	
rosagoreutice	prosagoreutice	—	prosagoreutice	
paraenetice	paraenetice	—	—	
—	—	—	—	
—	—	—	—	
—	—	prosphonetice	—	
—	—	—	—	
—	prosphonetice	—	—	
—	—	—	—	
hypothetice	hypothetice	—	—	
symbuleutice	paraenetice vel symbul.	paraenetice	—	
paraenetice vel hypothetice	paraenetice vel hypothetice		—	
enthusiastice	enthusiastice	—	—	
araenetice	allegorice vel paraenet.	allegorice	—	
pragmatice	—	—	—	
—	—	—	—	
—	—		—	
—	antapodotice		antapodotice	
—	—	—	—	
rosphonetice	prosphonetice			
paraenetice	paraenetice			
proseuctice	proseuctice	—		
araenetice	paraenetice	—		

Carmen	*A*	*B*	*F*
III 15	—	—	mentice
16	—	—	hypothetice
17	—	—	paraenetice
18	—	—	proseuctice
19	—	—	diastolice
20	—	—	—
21	—	—	paraenetice
22	—	—	hymnus
23	—	—	proseuctice
24	—	—	—
25	hymnus	hymnus	—
26	—	—	—
27	hypothetice	hypothetice	prosphonetice
28	paraenetice	paraenetice	syllogistice
29	paraenetice	paraenetice	prosphonetice
30	—	—	apotelestice
IIII 1	euctice erotice	euctice erotice	—
2	encomiastice	encomiastice	—
3	proseuctice	—	—
4	prosphonetice encomiastice	prosphonetice encomiastice	—
5	paeanis species proseuctice	paeanis species proseuctice	—
6	proseuctice	proseuctice	—
7	paraenetice	paraenetice	—
8	encomiastice	encomiastice	—
9	—	—	—
10	erotice	erotice	erotice
11	erotice	erotice	—
12	paraenetice	paraenetice	—
13	paraenetice	paraenetice	—
14	encomiastice	encomiastice	—
15	—	—	—
c. saecul.	—	—	proseuctice

λ	γ	τ	π	Grammaticorum testimonia.
mentice	mentice	—	—	
hypothetice	hypothetice	—	—	
paraenetice	paraenetice	—	—	
proseuctice	proseuctice	—	—	
diastolice	diastolice	—	—	
—	—	—	—	
paraenetice	paraenetice	—	—	
—	hymnus	—	—	
rcseuctice	prosphonet.	—	—	
—	—	—	—	
—	—	hymnus	—	
—	—	—	—	
osphonet.	prosphonet.	hypothetice	prosphon. (?)	
llogistice	paraenetice	—	—	
osphonet.	prosph. paraenetice	—	—	
apotelestice	—	—	—	
ctice erotice	euctice erotice	—	—	
ncomiastice	encomiastice	—	—	
proseuctice	proseuctice	—	—	
rosphonetice	prosphonetice	-	-	
ncomiastice	encomiastice			
eanis species proseuctice	proseuctice	—	—	
proseuctice	proseuctice	—	—	
paraenetice	paraenetice	—	—	
ncomiastice	encomiastice	—	—	
—	—	—		
erotice	erotice	—	—	
erotice	erotice	—	—	
paraenetice	paraenetice	—	—	
paraenetice	paraenetice	—	—	
ncomiastice	encomiastice	—	—	
	—			
—	proseuctice	—	—	

licet. Neque enim in fine demum tertii libri, sed iam ante extremum librum tertium illum codicem, unde *AB* codicum archetypus descriptus est, defecisse partemque extremam ex alio codice[1] suppletam esse facile aliquis concludat. Etenim exceptis carminibus I 1 (pragmatice *B*) et II 2 (encomiastice *AB*) sub finem demum tertii libri *AB* tales inscriptiones exhibere incipiunt (III 25. 27—29); atque statim post carmen III 30 *A* eundem addit quem alii libri conspectum vocabulorum graecanicorum cum explicatione latina: in *B* is recensus omittitur, quo in codice omnino carmina neque omnia leguntur et ordo carminum mutatus est. Itaque veri simillimum videtur in libro illo, quem auctor archetypi codicum *AB* transscripsit, neque epitheta graecanica addita fuisse (rara enim exempla I 1 et II 2 casu magis sive servata sive ex altero exemplari intrusa non curo) et ultimam partem tertii libri (inde a carmine fere vicesimo quinto) defecisse.

Videamus porro, quoad singuli codices in libris tribus prioribus inter se aut consentiant ant dissentiant.

1) Cum codicibus *AB* de quibus modo vidimus non cohaeret *F* codex archetypus codicum φ et ψ: quem codicem in tribus prioribus libris plerumque instructum esse verbis illis graecanicis, carere fere in quarto libro iam supra monui. Paucis autem locis, ubi et *AB* et *F* inscriptionem Graecam exhibent, inter se discrepant (II 2. III 27—29). Codicem *F* in epithetis graecanicis constanter sequitur codex λ, nisi quod bis (III 9. 22) inscriptione Graeca omnino caret.[2] Idem autem λ ad finem tertii libri eundem epithetorum illorum recensum exhibet quem praeterea in uno codice *A* invenimus. Quod non difficile est ad explicandum. Nam in quarto libro, ubi codicem *F* verbis illis uno loco excepto carere dixi, λ cum in ceteris illum sequatur, tamen notulas graecanicas easdem atque *A*

[1] De hoc codice, qui et ipse tres libros habuisse videtur, infra disserendum erit.

[2] Nam in carminis II 6 inscriptione nota codicis λ apud Kellerum errore sive editoris sive typographi post *F* excidisse videtur.

et *B* addit. Has igitur qui codicem λ curavit scribendum, supplevisse censendus est ex libro eius familiae ad quam *AB* pertinent: atque indidem indicem illum epithetorum quem ante librum quartum perscriptum legebat, repetisse. Praeterea codicem *F* sequitur codex π in paucis illis quae exhibet epithetis (II 2. 8. III 9. 27).

2. Codicis γ in epithetis graecanicis haec cum ceteris ratio est: a) plerumque γ consentit cum *F* (et λ): I 8—13. 15—18. 24. 30—33. 35—38. II 3. 4. 6. 8. 9. 16. 18. 19. III 9. 11—19. 21. 22. 27. b) consentit cum *F* et τ ita, ut diversas quas hi codices praebent notas coniunctas dittographiae modo ('paraenetice vel symbuleutice' sim.) adiciat: II 7. 17. 20. c) semel notas codicum *AB* et $F\lambda$ coniunctas praebet: III 29. d) semel consentit cum *AB* contra $F\lambda$: III 28. e) bis dissentit a ceteris codicibus, cum verbum graecanicum diversum praebeat: III 23 ubi cum $F\lambda$ discrepat, et II 2 ubi neque cum *AB* neque cum $F\lambda\pi$ facit. f) bis solus inscriptionem graecanicam servat: II 13. 14. Reliquis locis desunt epitheta Graeca.

3. De τ codice haec monenda sunt: bis consentit cum $F\lambda$ (γ): I 2 [1] II 6 (quibus locis nulla est lectionum discrepantia); bis cum *AB*: III 25 et (contra $F\lambda\gamma\pi$ [?]) III 27. Ter eam notam exhibet quam tamquam variam lectionem notat γ: II 7. 17. 20. Semel dissentit ab $F\lambda\gamma$ inter se consentientibus (II 4); semel solus epitheton habet: II 12. Cetera carmina carent inscriptione Graeca.

Videmus utrumque codicem γ et τ medium quendam locum tenere inter familias $F\lambda$ et *AB*: ut tamen neque cum altera utra constanter faciant et sibi propria uterque nonnumquam habeat. Praeterea γ cum in universum *F* pressius sequatur, exemplar codicis τ simile adhibuisse et varia inde epitheta suis iunxisse videtur his locis:

II 7: pragmatice $F\lambda$ prosphonetice τ p r a g m a t i c e v e l p r o s p h o n e t i c e γ.

[1] Quamquam ex Kelleri adnotatione „Proseuctice tetracolos ad Augustum $F\tau$ (sed in τ evanuerunt plurimae litterae)" vel id addubitari potest, num nota „proseuctice" in τ tradatur.

II 17: symbuleutice *Fλ* paraenetice *τ* paraenetice vel symbuleutice *γ*.

II 20: paraenetice *Fλ* allegorice *τ* allegorice vel paraenetice *γ*.

Neque enim veri simile est dittographiam iam in communi archetypo librorum *Fλ*, *γ*, *τ* extitisse (quemadmodum sane duplex lectio traditur et in *Fλ* et in *γ* II 3: „paraenetice immo symbuleutice" cf. 18. IIII 1) a *γ* solo servatam, cum *Fλ* et *τ* alteram utram notasse satis habuerint: tum enim mirum esset quod ne uno quidem ex eis de quibus agitur locis *F* et *τ* inter se consentiunt.

Is autem liber, unde et *τ* fluxit et variae illae in *γ* lectiones, similis fuit ei codici, unde finem tertii libri in *AB* suppletum esse vidimus. Quo fit ut III 25. 27 *AB* cum *τ* consentiant contra *Fλγ*. Neque aliunde explicandum videtur, quod semel certe III 28 *γ* accedit ad *AB*, recedit a *Fλ*; ubi eodem ni fallor libro usus est, unde varias lectiones illas enotavit. A codice *τ* in hac re auxilium peti nequit: qui codex post III 27, 55 deficit nec libri IIII nisi exigua fragmenta continet. Sed cum omnino rarae sint in *τ* inscriptiones, etiam de eis quae in prioribus carminum titulis *γ* diversa habet a reliquis quos sequi solet codicibus (III 23. II 2) dubitari licet, num ad eundem fontem referenda sint: de eis quae *τ* soli propria sunt (II 4. 12), ne dubitari quidem licet. Contra anceps est iudicium de eis epithetis quae solus *γ* notat (II 1. 14): quia casu fieri potuit, ut in *F* omitterentur.

Ceterum praeter codices etiam apud grammaticos veteres quamvis levia similis memoriae vestigia deprehenduntur. Quorum unus, Diomedes (saeculi fere IIII grammaticus) tertiam libri primi oden „proseucticen" nominat[1], qua in re

[1] Diomed. III de metris Horatianis (Keil, Gramm. Lat. I p. 522,7): „nona decima ode Horatianum metrum habet et constat ex Glyconio et Asclepiadeo, quod supra scriptum est in ecloga proseuctice Vergilii. Alio autem genere scanditur per binos versus, quorum unus est tripodia dactylica, alter penthemimeres: *mater saeva Cupidi-*

discrepat cum nostris codicibus $F\lambda$ (reliqui enim carent epitheto), quibus „prosphonetice“ est. Alter, Porphyrio, Horatii interpres (saec. III ?), tres nobis tradit huius generis significationes: 1) ad carm. I 16 palinodia, 2) ad carmen I 24 θρῆνος, utrumque cum $F\lambda\gamma$ consentiens, denique 3) ad carmen I 27 protreptice, ubi in codicibus inscriptio Graeca deest. Secutus igitur est eandem fere quam nostri codices memoriam: nam I 27 „protreptice“ vix est cur negemus neglegentia librarii in archetypo familiae *F* omissum esse.

Tertio loco accedunt scholia quae Acronis nomen ferunt. Ubi quae extant epitheta pragmatice I 1. II 1; erotice I 19 [ἐρωτικῶς I 13]; paraenetice I 17; hypothetice I 15 non differunt a nostris codicibus: pleraque in $F\lambda\gamma$, vocabulum „pragmatice“ I 1 et II 1 in singulis codicibus ***B*** et γ redeunt, ut in *F* videantur fortuito praetermissa esse.

In quarto libro nullum esse librorum ($AB\lambda\gamma$ — nam *F* in hoc libro epithetis uno excepto caret —) dissensum in vocabulis de quibus agitur iam commemoravimus. Nam leve est quod γ in quinti carminis inscriptione omittit verba: „paeanis species“. *B* tertium carmen omnino non habet. Ceterum carminibus 9 et 15 notae non adduntur.

§ II.

Iam si quaerimus, num hae inscriptiones ipso archetypo quo traditae sunt antiquiores perhibendae sint an non, ad eam quaestionem solvendam aliquod momentum habet index ille de quo supra p. 7 et 14 diximus, qui in fine tertii libri perscriptus vocabulorum de quibus agitur graecanicorum non omnium, sed partis tantum conspectum versione Latina addita praebet. Leguntur ibi fere haec:

Q. Horatii Flacci carminum liber III explicit. Erotice. Amatorie. Pragmatice. Causative. Hypothetice. Personaliter.

---

num.“ cf. ibid. p. 519, 21: „tertia ode dicolos Horatianum metrum habet, cuius prior versus constat ex Glyconio et recipit tres pedes, spondeum choriambum iambum: *sic te diva potens Cypri* “

Paraenetice. Interpositive. Prosphonetice. Exclamatorie. Proseuctice. Deprecatorie. Paean. Proseuctice. Laudativa et Deprecatoria.

Ex hoc indice, qui et in *A* et *λ* codicibus traditur et in Sangallensi *σ* (saec. X) ante initium carminum extat, primum hoc apparet auctorem Graeca terminatione deceptum vocabula de quibus agitur pro adverbiis habuisse ideoque adverbia Latina adposuisse. Atqui dubium non est quin adiectivorum loco fungantur, ita ut supplendum sit vocabulum „ode": id quod elucet et ex Diomedis grammatici testimonio (p. 522 Keil): „nona decima ode Horatianum metrum habet et constat ex Glyconio et Asclepiadeo, quod supra scriptum est in ecloga proseuctice Vergilii[1]", et ex ipsis inscriptionibus carminum I 3 (prosphonetice ... Vergilii *Fλ*), III 9 (antapodotice ad Lydiam et Lydiae ad se *π*), IIII 2 (poetarum encomiastice *AB*), IIII 14 (ad plebem encomiastice, in qua..... ait *γ*). Atque uno saltem loco in fine catalogi ipse auctor veram formam agnovit, cum poneret „paean proseuctice: laudativa et deprecatoria": quae pertinent ad IIII 5 „paeanis species proseuctice". Quo certius est eum qui pleraque vocabula in linguam Latinam transtulit, aliunde ea accepisse neque satis propriam eorum vim adsecutum esse.

Idem etiam magis confirmatur perversis quas addidit explicationibus Latinis. Ubi sola vox „erotice" recte translata est, ferri potest etiam paeanis interpretatio. Contra vocabula „proseuctice" „pragmatice" „prosphonetice" auctor parum intellecta ad verbi quae ipsi videbatur notionem expressisse satis habuit. „Paraenetice" nescio quo modo videtur confudisse cum voce quae est „parenthetice" et inde perverse transtulisse. Denique „hypothetice personaliter" errore ortum ex usu rhetorico vocabuli „hypothesis", ni fallor, explicando: quo vocabulo indicatur „quaestio cum persona finita."[2]

[1] Quodsi mirum videatur quod Diomedes hanc oden (I 3) „eclogam" nominat, et paene credas errorem grammatici hic statuendum esse, qui fontem, unde hauriret, non satis intellexerit et de Vergilii ecloga agi putaverit: inspicias locos a Baehrio (Gesch. d. roem. Lit. I[4] p. 572) collectos, inprimis Ausonii praef. ad edyll. 11 (de Hor. carm. III 19).

[2] Cf Hermogenes in progymnasmatis II 17, 23 Spengel......

Verum quod hoc indice probavimus certius iam Diomedis loco et Porphyrionis, quod supra attuli, testimonio constat: inscriptiones graecanicas codicum nostrorum memoria antiquiores esse.

§ III.

Iam videndum, num quae eorum de quibus disserimus vocabulorum ad alia quoque aliorum scriptorum opera designanda simili vi ac notione adhibita sint.

Qua in re propter formam et usum diversum a ceteris secernimus verba quae sunt hymnus threnus paean palinodia. Hymnum ad deos extollendos scribi, threnos cantus lugubres appellari quibus mortui lugeantur,[1] Paeanes primitus laudes Apollinis et Dianae continuisse, postea ad quemlibet deum pertinere potuisse res est notissima. Minus usitata vox palinodiae erat, cuius definitionem Suidas affert hanc: *παλινῳδία δὲ ἐναντία ᾠδή, ἢ τὸ τὰ ἐναντία εἰπεῖν τοῖς προτέροις κ. τ. λ.* Repetitum est hoc ex nota fabula de Stesichoro, qui cum propter malum in Helenam conditum carmen caecus factus esset, palinodia in eius laudem scripta oculos recuperasse dicitur.[2]

Praeterea vero vocabula de quibus agitur ad carmina inscribenda adhibita esse haec praecipue invenio:

1) *ἐνθουσιαστικὰ μέλη* Aristoteles distinguit: *ἐπεὶ*

ὡς ἐὰν πρόσωπον ὡρισμένον λάβωμεν καὶ περίστασίν τινα, καὶ οὕτω τὴν διέξοδον τῶν λόγων ποιώμεθα, οὐ θέσις ἔσται, ἀλλ' ὑπόθεσις. Similiter Theon progymnasm. ib. II 61, 9. Alexander ib. III 1, 4. Quos sequuntur rhetores Latini. Velut Aurel. Augustin. ap. Halm. rhet. min. p. 140, 1: „Thesis est res, quae admittit rationalem considerationem sine definitione personae: hypothesis est seu controversia ... res, quae admittit rationalem contentionem cum definitione personae.“ Sulpit. Victor ib. p. 314, 25. Martian. Capella ib. p. 454, 16. Isidor. de rhetor. ib. p. 515, 11.

[1] Proclus discrimen inter threnum et epicedion hoc modo statuit: *διαφέρει δὲ τοῦ ἐπικηδείου ὁ θρῆνος, ὅτι τὸ μὲν ἐπικήδειον παρ' αὐτὸ τὸ κῆδος, ἔτι τοῦ σώματος προκειμένου λέγεται, ὁ δὲ θρῆνος οὐ περιγράφεται χρόνῳ.* (Procl. Chrestom. 24 apud Gaisford. I 352, 1).

[2] cf. Bergk. poet. lyr. Graec. III 980—982.

δὲ — inquit — τὴν διαίρεσιν ἀποδεχόμεθα τῶν μελῶν ὡς διαιροῦσί τινες τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ μὲν ἠθικά, τὰ δὲ πρακτικά, τὰ δ' ἐνθουσιαστικὰ τιθέντες κ. τ. λ. (Aristot. Polit. Θ 7 p. 1341ᵇ 32). Enthusiasticum carmen intellegi animo quasi divino tacto spiritu conscriptum facile apparet.

2) ἐρωτικά Bergk. poet. lyr. Graec. III p. 1234, 24 (Bacchylidis ἐρωτικά); ἐρωτικὸν ᾠδάριον (vel ἐρωτικὸν) vocantur haec Anacreontea: 18. 24. 26. 31. 32. 42. 43 (ed. Rose); ἐπιγράμματα ἐρωτικὰ Duebner. Anthol. Graec. epigr. I p. 59. De eroticis carminibus Proclus Gaisf. I p. 351, 11 dicit haec: τὰ δὲ ἐρωτικὰ (scil. μέλη) δῆλον ὅτι γυναικῶν καὶ παίδων καὶ παρθένων ἐρωτικὰς ᾄδει περιστάσεις. — Cf. etiam ἐρωτικοὶ λόγοι oratorum Graecorum.

3) eucharisticon inscriptum est carmen alterum quarti silvarum Statii libri, quo poeta ab imperatore Domitiano ad cenam invitatus gratias Caesari agit eumque laudibus extollit.

4) εὐκτικὰ μέλη qualia sint, Proclus (Gaisf. I 355, 5) his verbis docet: εὐκτικὰ δὲ μέλη ἐγράφετο τοῖς αἰτουμένοις τι παρὰ θεοῦ γενέσθαι. Quae ita inscripta ferantur carmina nulla invenio. — Εὐκτικὸν γένος hymnorum esse Menander docet, ita ut ὕμνους εὐκτικοὺς ex apeucticis et proseucticis constare velit, qui ad deos pertineant, his verbis: οἱ δὲ ἀπευκτικοὶ καὶ προσευκτικοὶ ὕμνοι σχεδὸν μέν, ὥσπερ ἐφάσκομεν, πᾶσι τοῖς προειρημένοις εἰσὶν ἀναπεπλεγμένοι, ἢ τοῖς γε πλείστοις αὐτῶν. ἅπαντες γὰρ ἀνυμνοῦντες τοὺς θεοὺς εἰς εὐχὰς ἐγκλείουσι τοὺς λόγους. ἤδη δέ τινες καὶ ἀποτόμως κατὰ τὰ αὐτὰ γεγόνασιν· ἀπευκτικὸς μὲν ὁ τοιοῦτος

Ζεῦ κύδιστε μέγιστε, κελαινεφές, αἰθέρι ναίων,
Μὴ πρὶν ἐπ' ἠέλιον δῦναι καὶ ἐπὶ κνέφας ἐλθεῖν.

προσευκτικὸς δέ·

Κλῦθί μευ, αἰγιόχοιο Διὸς τέκος, ἥτε μοι αἰεὶ
Ἐν πάντεσσι πόνοισι παρίστασαι . . . .

(Menander περὶ ἐπιδεικτικῶν in Spengelii Rhet. III 342, 22).

5) πρὸς παρθένον παραινετικός (supplendum ὕμνος)

inscribitur Gregorii poetae Christiani carmen. cf. Antholog. Graec. carmin. Christianorum adornaverunt W. Christ et M. Paranikas Lipsiae 1871 p. 29). Paraenetica vocatur saepius poesis Theognidis et similium poetarum. De paraeneticis carminibus Sextus Empiricus haec disputat: *πρῶτον μὲν γάρ, ἵνα συνδράμωμεν αὐτοῖς μηδὲν ποιητικῆς κατειπόντες, ἀλλ' οὖν γε ἐκεῖνο πρόδηλόν ἐστιν, ὅτι ὁπόσα μὲν βιωφελῆ καὶ ἀναγκαῖα εὑρίσκεται παρὰ ποιηταῖς, οἷά ἐστι τὰ γνωμικὰ καὶ παραινετικά, ταῦτα σαφῶς αὐτοῖς πέφρασται καὶ οὐ δεῖται γραμματικῆς κ. τ. λ.* (Sext. Empir. ed. Bekker p. 662, 27).

6) protrepticus (vel protrepticum) inscribebatur carmen Ennii (p. XCI et 165 ed Vahlen). Protrepticon inscribi videtur in codicibus deterioribus quinti Statii silvarum libri carmen alterum, quo adloquitur Crispinum adulescentem discedentem, cui maiorum gloriam ostendit eumque exhortatur, ut eorum vestigia sequatur. Porro Ausonii edyllium quartum inscribitur: protrepticon de studio puerili. Denique *ἐπιγράμματα προτρεπτικὰ* adhuc extant in Anthol. Graec. epigr. ed. Duebner II p. 251.

7) hypothetica quae inscribantur carmina licet nulla reperiam, similem certe notionem prae se ferunt voces quae sunt *ὑπόθεσις* et *ὑποθήκη*. Norunt omnes Tyrtaei *ὑποθήκας* (Bergk. poet. lyr. Graec. II p. 397), Solonis ib. 417 (*ὑποθῆκαι εἰς Ἀθηναίους*) et p. 423 (*ὑποθῆκαι εἰς ἑαυτόν*). Theognidis quoque elegiae est ubi *ὑποθῆκαι* appellentur; nec secus Hesiodi et Phocylidis poesis. Archilochus *θερμὰς ὑποθέσεις* scripsit (Keil, analecta grammatica, Halis 1848): ubi *ὑποθέσεων* legendum pro *ὑποθηκῶν* (quod Nauck et Bergk praeferunt) Miller probavit (Journal des Savans 1870 p. 173 adnot. 5).

Deinde ut melius perspiciatur, quem in modum mos fuerit carminum genera epithetis significare, non alienum mihi videtur hoc loco selecta aliquot vocabula Graecorum, quae praeter haec de quibus disserimus Romanorum quoque in usum recepta erant, apponere:

1) genethliacon Stat. silv. II 7,

2) epithalamia Catulli (61. 62); Licinii Calvi (p. 84 ed. Luc. Mueller); Statii silv. I 2; Gallieni (apud Treb.

Poll. 11); Luxorii in Riesei Anthol. Lat. I p. 66; anonymorum ibid. I p. 81; II p. 211; etc. etc.: cf. Baehr, Gesch. der roem. Lit. I⁴ p. 752—755.

3) propempticon Cinnae (cf. Luc. Mueller in ed. Catulli p. 88, III); Stat. silv. III 2.

4) epitaphia inscribi nonnulla epigrammata Martialis norunt omnes; cf. Ausonii epitaphia heroum; cf. Riese, Anthol. Lat. I, p. 92. 231. 263 et Baehr l. l. I⁴ p. 796.

5) epicedion Stat. silv. V 1. 3. 5; Auson. edyll. 2; epicedion Drusi.

6) panegyrici inde a Tibulli temporibus compositi sunt (cf. Baehr l. l. I⁴ 467 sqq.). [De oratorum cum Graecorum tum Latinorum panegyricis nota res est.]

7) soteria Stat. silv. I 4.[1]

Praetera de hymenaeis, idylliis, Priapeis, etc. etc. a Romanis compositis adeundi sunt libri de historia litterarum Latinarum conscripti.

Pauca horum de quibus agitur epithetorum ad alia carmina designanda usurpata esse vidimus. Quo maior est numerus epithetorum ex rhetorum potius apparatu petitorum. Nimirum ad artem rhetoricam haec vocabula revocanda

---

[1] Hic addere liceat, quae Proclus de carminum generibus refert (Gaisford I p. 346, 20): *περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεώς φησιν ὡς πολυμερεστάτη τε καὶ διαφόρους ἔχει τομάς. ἃ μὲν γὰρ αὐτῆς μεμέρισται θεοῖς, ἃ δὲ ἀνθρώποις, ἃ δὲ εἰς τὰς προσπιπτούσας περιστάσεις. καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον, προσόδιον, παιᾶνα, διθύραμβον, νόμον, ἀδωνίδια, ἰόβακχον, ὑπορχήματα· εἰς δὲ ἀνθρώπους ἐγκώμια, ἐπινίκια, σκολιά, ἐρωτικά, ἐπιθαλάμια, ὑμεναίους, σίλλους. θρήνους, ἐπικήδεια· εἰς θεοὺς δὲ καὶ ἀνθρώπους παρθενεῖα, δαφνηφορικά, ὀσχοφορικά, εὐκτικά· ταῦτα γὰρ εἰς θεοὺς γραφόμενα καὶ ἀνθρώπων περιείληφεν ἐπαίνους. τὰ δὲ εἰς τὰς προσπιπτούσας περιστάσεις οὐκ ἔστι μὲν εἴδη τῆς μελικῆς, ὑπ' αὐτῶν δὲ τῶν ποιητῶν ἐπικεχείρηται. τούτων δέ ἐστι πραγματικά, ἐμπορικά, ἀποστολικά, γνωμολογικά, γεωργικά, ἐπισταλτικά.*

sunt: Encomiastice, dicanice, euctice, symbuleutice, protreptice, prosphonetice, proseuctice, erotice, hymnus, palinodia.[1]

Ut a notissimis ordiar, Anaximenes[2] hoc modo de orationis generibus disputat: *δύο γένη τῶν πολιτικῶν εἰσι λόγων, τὸ μὲν δημηγορικὸν, τὸ δὲ δικανικόν. εἴδη δὲ τούτων ἑπτά· *προτρεπτικὸν, ἀποτρεπτικὸν, ἐγκωμιαστικὸν, ψεκτικὸν, κατηγορικὸν, ἀπολογητικὸν καὶ ἐξεταστικὸν κ. τ. λ.* (Anaxim. ap. Spengel. rhet. I 174, 15). Aristotelem demum notum est tria genera constituisse *ἐπιδεικτικὸν, δικανικὸν, συμβουλευτικόν,* quibus generibus ille species subiungit, cum dicit: . . *συμβουλῆς δὲ τὸ μὲν προτροπὴ, τὸ δὲ ἀποτροπή . . . . ἐπιδεικτικοῦ δὲ τὸ μὲν ἔπαινος, τὸ δὲ ψόγος* . . . .[3] Eandem dispositionem cum apud alios tum apud Menandrum habemus, qui tertium genus *ἐπιδεικτικόν* in *ἐγκωμιαστικόν* et *ψεκτικόν* dividit[4], cum Theo et Alexander, qui floruerunt altero post Christum saeculo, ipsum genus *ἐγκωμιαστικόν* nominent, Hermogenes, qui Antonino philosopho regnante vixit, *πανηγυρικόν*.[5]

Nec vero silentio nobis praetereundum est discrimen inter *ἔπαινον* et *ἐγκώμιον* statui: quamquam quomodo inter se differrent, de ea re rhetores varia disseruerunt. Aristoteles primus certum discrimen videtur statuisse: *ἔστι δ' ἔπαινος* — inquit — *λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς . . . . τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν.*[6] Aliter Hermogenes in progymnasmatis differentiam exponit his: *ἐπαίνου δὲ διαφέρει τὸ ἐγκώμιον, ὅτι ὁ μὲν ἔπαινος καὶ ἐν βραχεῖ γένοιτ' ἄν, οἷον Σωκράτης σοφός, τὸ δὲ ἐγκώμιον ἐν μακροτέρᾳ διεξόδῳ.*[7] Cui hoc quoque acceptum refert Nicolaus sophistes.[8] Plures deinde discer-

---

[1] In sequentibus si quae iam apud poetas extare reperimus, asterisco ea signavi

[2] Sequor Spengelii sententiam, qui rhetoricen ad Alexandrum, quae sub Aristotelis fertur nomine, Anaximeni tribuit.

[3] Aristot. art. rhet. I 3 = Spengel. I 14, 3 sqq.

[4] Menand. *γενεθλίων διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν* ap. Speng. III 331, 1.

[5] Hermog. *περὶ ἰδεῶν β'* = Spengel. II 401, 14.

[6] Aristot. art. rhet. I 9 = Spengel. I 37, 15.

[7] Hermog. progymnasm. 7 = Spengel. II 11, 25.

[8] Nicol. soph. progymn. 8 = Spengel. III 478, 30.

nendi rationes Alexander enumerat, ipse incertus, utrum discrimen statuendum sit necne.[1] Denique Aristides et Aphthonius etiam hymnum ab *ἐπαίνῳ* et *ἐγκωμίῳ* secernendum esse docent ita quidem, ut hymnus ad deos solos pertineat, *ἔπαινος* autem et *ἐγκώμιον* ad mortales vel mortalia; *ἔπαινον* vero et *ἐγκώμιον* eodem fere modo atque Hermogenes et Nicolaus discernunt.[2]

Subtilius etiam ab aliis partes et species generis epideictici discripta sunt. Itaque secundum Menandrum *λόγοις ἐπιδεικτικοῖς* haec orationis genera continentur: 1) *ὕμνοι*, qui ad deos extollendos scribuntur, eique *κλητικοί, ἀποπεμπτικοί, φυσικοί, μυθικοί, γενεαλογικοί, πεπλασμένοι, ἀπευκτικοί, προσευκτικοί, Σμινθιακοί.* 2) Orationes quibus laudantur urbes, terrae, portus, sinus, arces. 3) Laudes hominum, quibus continentur *λόγος βασιλικός, ἐπιβατήριος, λαλιά, προπεμπτική* (scil. *λαλιά*), *λόγος ἐπιθαλάμιος, γενεθλιακός, παραμυθητικός, προσφωνητικός, ἐπιτάφιος, στεφανωτικός, κλητικός, πρεσβευτικός, συντακτικός, μονῳδία.*[3]

* Protrepticum genus ab Anaximene commemoratum vidimus. *Λόγον προτρεπτικόν* et *προτρεπτικήν* (sc. *λαλιάν*) Himerius composuit qui adhuc extant (eclog. 14. 34).

Προσφωνητικὸς λόγος quam vim habuerit, Menandri locus docet (*περὶ ἐπιδεικτικῶν* 10 = III 414, 32 Spengel): *ὁ προσφωνητικὸς λόγος ἐστὶν εὔφημος εἰς ἄρχοντας λεγόμενος ὑπό τινος, τῇ δὲ ἐργασίᾳ ἐγκώμιον, οὐ μὴν τέλειον· οὐ γὰρ ἔχει πάντα τὰ τοῦ ἐγκωμίου, ἀλλὰ κυρίως ὁ προσφωνητικὸς γίνεται, ὅταν ἐξ αὐτῶν τῶν πραττομένων ὑπ' αὐτοῦ πράξεων ὁ λόγος τὴν αὔξησιν λαμβάνῃ. διαιρεῖται δὲ οὕτως. κ. τ. λ.* Sequitur deinde

---

[1] Alexandr. fragm. = Spengel III 2, 9 sqq. usque ad III 4, 15.

[2] Aristid. *τεχν. ῥητορικ.* I = Spengel II 505, 3. Aphthon sophist' progymn. 8 = Spengel. II 35, 25.

[3] Menand. *περὶ ἐπιδεικτικῶν* = Spengel III 331—446. Similiter, nec tamen satis accurate Nicol. soph. progymn. 8 (Spengel III 477, 20 sqq.): *ἔστι μὲν ἁπλοῦς οὐκέτι ὁ περὶ τοῦ ἐγκωμίου λόγος, ἀλλὰ πολυσχιδής τε καὶ εἰς πολλὰ διαιρούμενος· καὶ γὰρ οἱ ἐπιβατήριοι καὶ οἱ προσφωνητικοὶ καὶ οἱ ἐπιθαλάμιοι καὶ οἱ ἐπιτάφιοι, καὶ μέντοιγε καὶ οἱ εἰς τοὺς θεοὺς ὕμνοι καὶ πάντες ἁπλῶς οἱ εὐφημίαν ἔχοντες λόγοι ὑπὸ τοῦτο τὸ εἶδος τάττονται.*

expositio satis ampla, qua ratione oratio prosphonetica optime fiat. Eiusmodi prosphoneticam orationem apud Aristidem legimus, quam praesente imperatore Commodo habuit.[1]

De hymnorum proseucticorum et apeucticorum usu rhetorico quae Menander profert iam attulimus. (Spengel. III 342).

*Erotice quoque ad rhetoricam artem pertinet. Extat *ἐρωτικὸς λόγος* Lysiae in Platonis Phaedro; alius sub Demosthenis nomine *ἐρωτικός* fertur; Demetrius Phalereus quoque *ἐρωτικόν* scripsisse traditur.

Ceterum etiam vocem poetarum propriam quae est *palinodia rhetores in usum suum verterunt, ita ut palinodiam intellegerent orationem, qua continerentur sententiae prioris orationis sententiis contrariae. Eiusmodi palinodiam Aristides composuit: qui cum Smyrnam urbem a. 179 terrae motu graviter afflictam monodia (i. e. oratione lugubri) deplorasset, eandem a M. Aurelio imperatore restitutam palinodia celebravit.[2]

*Paraenetices et hypothetices voces in artem rhetoricam recepta fuisse etsi veri non dissimile videtur, exempla tamen apud rhetores non reperio: nisi quod *παραινέσεις πρὸς Δημόνικον* sub nomine Isocratis ferri constat, quas Harpocration Isocrati Apolloniatae addici vult. Quid sibi velint ea nomina, de eo Sextus Empiricus nobis auctor est, qui ex philosophorum scilicet usu *τόπον ὑποθετικόν* et *παραινετικόν* his verbis commemorat: (*Ἀρίστων ὁ Χῖος*) . . . . . *καὶ τοῦ ἠθικοῦ τόπους τινὰς συμπεριέγραφεν, καθάπερ τόν τε παραινετικὸν καὶ τὸν ὑποθετικὸν τόπον· τούτους γὰρ εἰς τίτθας καὶ παιδαγωγοὺς πίπτειν, ἀρκεῖν δὲ πρὸς τὸ μακαρίως βιῶναι τὸν οἰκειοῦντα μὲν πρὸς ἀρετὴν λόγον, ἀπαλλοτριοῦντα δὲ κακίας, κατατρέχοντα δὲ τῶν μεταξὺ τούτων, περὶ ἃ οἱ πολλοὶ πτοηθέντες κακοδαιμονοῦσιν.* (Sext. Empir. p. 193, 5 Bekk.).

Inter rhetores sunt qui discrimen inter *παραίνεσιν* et *συμβουλήν* faciant. Syrian. schol. in Hermog. (Walz, rhett. Graec. IIII 763, 6): . . . . . *διαφέρει παραίνεσις συμβουλῆς τῷ*

---

[1] Aristid. ed. Dindorf. Lipsiae 1829. I 22.

[2] Aristid. I. 20. 21 Dind. (*μονῳδία ἐπὶ Σμύρνῃ* et *παλινῳδία ἐπὶ Σμύρνῃ*).

τὴν μὲν συμβουλὴν περὶ ἑνὸς γίνεσθαι πράγματος, τὴν δὲ παραίνεσιν περὶ πλειόνων· καὶ τῷ τὴν μὲν συμβουλὴν πρὸς πρᾶξίν τινα τῶν ἔξωθεν γίνεσθαι, οἷον πότερον ἄξιός ἐστι τόδε τι πράττειν ἢ μή, τὴν δὲ παραίνεσιν πρὸς ἤθους εὐρυθμίαν παραλαμβάνεσθαι· καὶ τῷ τὴν μὲν παραίνεσιν πρὸς ἕνα γίνεσθαι, τὴν συμβουλὴν δὲ προς πολλούς· καὶ ἡ μὲν συμβουλὴ ἀντιλογίαν ἐπιδέχεται, οἷον ὅτι οὐ χρὴ βοηθεῖν Ὀλυνθίοις· ἡ δὲ παραίνεσις οὔ· οἷον χρὴ τὸ θεῖον σέβειν, γονεῖς τιμᾶν. — Similiter Suidas s. v. παραίνεσις. Hesychius et Suidas ὑποθήκην esse παραίνεσιν volunt.

§ IIII.

Vidimus de usu vocabulorum, ut paucis comprehendam, horum: hymnus paean threnus palinodia encomiastice dicanice symbuleutice protreptice erotice enthusiastice eucharistice euctice proseuctice hypothetice paraenetice prosphonetice. Supersunt vocabula quaedam quae neque poeticae neque rhetoricae artis propria sunt: quae ex parte accuratiorem quaestionem exigunt, quia de notione ac vi eorum iudicium fieri nequit nisi carminum ad quae spectant argumentis in disquisitionem vocatis. Denique sunt quae corrupta tradantur. Illuc pertinent epitheta „allegorice“ „antapodotice“ „apotelestice“, de quorum significatione non ambigimus. Nempe ode allegorica est quae per imaginis descriptionem certam sententiam persequitur[1], antapodotica quae alternis cantatur[2], apotelestica autem ultima qua finis impo-

[1] Allegoria qui fiat, satis notum est. Charis. instit. gramm. III (Keil, Gramm. Latin. I 276, 4 sqq.): allegoria est oratio aliud dicens aliud significans per obscuram similitudinem aut contrario, ut apud Vergilium: *et iam tempus equum fumantia solvere colla:* significat enim carmen esse finiendum. — Fere isdem verbis utitur Diomedes art. gramm. II (Keil, l. c. I 461, 31). — Cic. Orat. 92, 94: „tralata ea dico . . . . . quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae caussa tansferuntur . . . . . Iam cum confluxerunt plures continuae tralationes, alia plane fit oratio, itaque genus hoc Graeci appellant ἀλληγορίαν, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia tralationes voçat.“ etc.

[2] Diverso modo antapodosis dicitur figura apud rhetores et gram-

nitur libello ode. Accuratius examen flagitant notae „pragmatice“ et „prosagoreutice“; corruptae leguntur „diastolice“ „mentice“ „lerke“ „syllogistice“. De quibus verbis infra disserendi locus erit. Iam enim id nobis propositum est, ut singulorum carminum argumentis perlustratis quaeramus, quo iure illis potissimum designentur eaque num idonea sint ad indolem carminum recte illustrandam: qua quaestione absoluta fieri poterit ut de origine et auctoritate earum notationum iudicium paulo certius faciamus.

I) HYMNVS.

I 10: *Mercuri facunde nepos Atlantis etc.*

(Hymnus Mercurio tetracolos *Fλγ* [1]).

*I 12: *Quem virum aut heroa lyra vel acri etc.*

(Prosphonetice tetracolos hymnos (ymnus *γ*) *Fλγ*; add. *λγ* (cf. *AB*): de laudibus deorum atque (et *γ*) hominum).

I 21: *Dianam tenerae dicite virgines etc.*

(Hymnos ad chorum in Dianam et Apollinem *Fλ*).

III 22: *Montium custos nemorumque, Virgo, etc.*

(Hymnus in Dianam *Fγ*; add. *γ*: luciferam).

III 25: *Quo me, Bacche, rapis tui etc.*

(Ymnus ad Liberum patrem *ABτ*; add. *A*: scribit metro eodem; add. *B*: ut supra).

His carminibus inscriptio quae est hymnus satis convenit. In carmine I 12 *Fλγ* dittographiam praebent „hymno“ prosphonetices voce addita, de qua infra dicetur.

II) PAEAN.

IIII 5: *Divis orte bonis, optume Romulae etc.*

(Ad Augustum de expeditione eius tarda orat, paeanis species proseutice tetracolos *AB*, Ad Cesarem Augustum absentem de expeditione eius tarda oratio peanis speties pros-

---

maticos: cf. Herodian. *περὶ σχημάτων* (Spengel. rhett. Graec. III 104,8): *ἀνταπόδοσις δὲ φράσις ἀνταποδιδομένη τῇ παραβολῇ καὶ συναπλοῦσα τοῖς πραττομένοις αὐτήν, ὡς μὲν Θρήϊκας ἄνδρας ἐπῴχετο Τυδέος υἱός.* — similiter Anonym. *περὶ τρόπων ιή* (Speng. l. c. III 212, 25), Cocondr. *περὶ τρόπων κς'* (Sp. III 242, 5), Georg. Choerob. *περὶ τρόπων* (Sp. III 254, 8)

[1] Inscriptiones eorum codicum, qui omnino verba graecanica praebent, integras adpono.

eutice tetracolos λ, Ad Augustum de expeditione eius proseutice tetracolos γ). Hoc carmen cum et de Caesaris reditu preces et imperii a Caesare egregie stabiliti laudes contineat, proseuctice appellari poterat idemque ad speciem paeanis accedere videri quo grates numini agunt sospiti: Horatio enim Augustus deus est. Certe duplex notatio h. l. non ex dittographia vel varia lectione orta est, sed primitus ad indolem carminis designandam adhibita.

III) PALINODIA.

I 16: *O matre pulchra filia pulchrior etc.*

(Palinodia Gratidiae vel Tindaridis $F\lambda$, Palinodia Gratidie γ). Illustrant rem Porphyrionis verba: „Hac ode παλινῳδίαν repromittit ei in quam probrosum carmen scripserat, Tyndaridae cuidam amicae suae, id est recantaturum ea quae dixerat, dicitque se iracundia motum haec scripsisse; adfirmat autem non magis Matris Magnae aut Apollinis numine instinctos furere quam eos qui iracundia sint incitati, adeo ut nulla cum vi hic furor deterreri possit."

IIII) THRENVS.

I 24: *Quis desiderio sit pudor aut modus etc.*

(Threnus in Quintilium mortuum F, Trenos in Quintilium a Virgilio amatum λ). Haec quoque inscriptio apta est.

V) ENCOMIASTICE.

*IIII 4: *Qualem ministrum fulminis alitem etc.*

(Ad urbem Romanam (Romam γ) de indoli (indole γ) ducum prosphonetice encomiastice tetracolos $AB\lambda\gamma$; add. λ: in Drusi Neronis virtutem). Carmen encomiasticum inscribitur, quoniam altera parte Neronum virtutes extollit, altera populi Romani robur ac vires per Hannibalis vaticinium illustrat. cf. prosphonetice.

IIII 8: *Donarem pateras grataque commodus etc.*

(Ad Censorinum comparatio poetices divitiarum simul ac virtutis encomiastice monocolos AB, Ad Marcium Censorium comporatio poetices divitiarum simul et virtutis. oncomiastice tetracolos γ, Ad Marcium Censorinum comparatio poetice fortunarum simul ac virtutis encomiastice monocolos λ). Praedicat videlicet hac ode Horatius artis poeticae praestantiam, unde explicatur inscriptio.

IIII 14: *Quae cura patrum quaeve Quiritium etc.*

(De salute Augusti ait (dicit λ) esse sollicitos patres. Ad plebem encomiastice tetracolos *ABλ*, Ad plebem encomiastice in qua de salute Augusti ait esse patres sollicitos tetracolos *γ*). Argumentum vere encomiasticum, quo Augusti bellica virtus ac fortuna splendidis verbis extollitur.

IIII 2: *Pindarum quisquis studet aemulari etc.*

(Poetarum encomiastice tetracolos *A*, Ad Iulianum Antonium vetustiorum poetarum veneratio encomiastice tetracolos *B fol. 180* [Ad Iulum Antonium vetustiorum poetarum *B fol. 170*], Ad Antonium Iulium vetustiorum poetarum veneratio incomiastice tetracolos *γ*, Ad Antonium Iulum de emulatione vana ..... rum poetarum veneratio encomiastice tetracolos λ). Notatio parum idonea. Certe neque Pindari laudes quae non funguntur nisi prooemii vice, neque quae de Caesaris reditu ab altero poeta 'maiore plectro' celebrando profert Horatius suam tenuitatem excusans, encomiasticam carminis indolem produnt.

*II 2: *Nullus argento color est avaris etc.*

(Ad Sallustium Crispum encomiastice tetracolos *AB*, Dicane ad Sallustium Crispum quod (om. *π*) ius liberalitatis extollit gratia *Fλπ*, Prosphonetice tetracolos Salustio Crispo ius libertatis extollenti *γ*). Qui adscripsit „encomiastice“ laudem sive temperantiae sive liberalitatis carmine contineri ratus satis inepte egit. Idem carmen in *Fλπ* nominatur 'dicane' i. e., ut videtur:

VI) DICANICE.

Hanc inscriptionem qui defendam atque adeo explicem argumenti carminis ratione habita, prorsus nescio. Relinquitur tertia nota solo cod. *γ* tradita „prosphonetice“ de qua infra p. 40 dicetur.

VII) PROTREPTICE.

I 27: *Natis in usum laetitiae scyphis etc.*

(Codices notatione Graeca carent). Porphyrion adnotat: „protreptice ode est haec ad hilaritatem, cuius sensus sumptus est ab Anacreonte ex libro tertio“.

*II 4: *Ne sit ancillae tibi amor pudori etc.*

(Ad Xanchiam Traliptam ancillam amare crimen non esse protreptice tetracolos τ, Prosphonetice alloquitur sodalem suum Foceum monens ne deserat concubinam suam Phillidem appetens talem qualis fuit Xanthia $F\lambda$, Prosphonetice ad Xanthiam sodalem genere Foceum ancillam amare crimen non esse γ). Utrumque carmen propter argumentum protrepticum dici licet. cf. prosphonetice.

VIII) SYMBVLEVTICE.

*II 3: *Aequam memento rebus in arduis etc.*

(Paranetice immo symboleutice (simboleutice γ) Dellio $F\gamma$, Paranetice symboleutice Dellio. Dellium alloquitur adque cohortatur eum ad equitatem animi et voluptatem quoniam mors sequutura obnubet omnes λ).

*II 17: *Cur me querellis exanimas tuis? etc.*

(Symboleutice ad Mecenatem $F\lambda$, Paranetice vel simboleutice ad Mecenatem γ, Ad Mecenatem paranetice tetracolos τ). Utrumque carmen pari iure paraeneticis atque symbuleuticis adscribitur.

VIIII) EROTICE.

I 8: *Lydia, dic, per omnes etc.*

(Erotice dicolos ad Lidiam $F\lambda\gamma$; add. γ: meretricem).

(I 13: *Cum tu, Lydia, Telephi etc.*

(Erotice dicolos ad Lydiam $F\gamma$; add. γ: de Thelepho. — Erotice dycolos alloquitur Lidiam meretricem aitque tormentum esse cum Telephy formam laudaet λ).

I 19: *Mater saeva cupidinum etc.*

(Erotice dicolos Glycerae $F\lambda$).

*IIII 1: *Intermissa, Venus, diu etc.*

(Allegoricos a se (a se *om.* λ) affirmat ex intermisso scribi carmina ad Venerem eutice erotice dicolos (dicopos *B*) $AB\lambda$; item γ, sed praeposito: ad Fabium Maximum).

IIII 10: *O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens etc.*

(Ad Ligurinum puerum (om. *AB*) speciosum et arrogantem adversum maiores (amatores γ) erotice monocolos $AB\lambda\gamma$).

IIII 11: *Est mihi nonum superantis annum etc.*

(Ad Phyllidam (Filliden *γ* Phyllam *B*) de die natalis sui simul et Mecenatis qui erat Idibus Aprilibus erotice tetracolos *ABλγ*).

Sunt certe haec carmina amatoria. De dittographia in IIII 1 (euctice erotice) cf. euctice.

X) ENTHVSIASTICE.

II 19: *Bacchum in remotis carmina rupibus etc.*

(Entusiace Liberi patris laudes *Fλ*, Enthusiatice ad Liberum patrem *γ*).

Bacchum inter Nymphas et Satyros se vidisse poeta fingit ac vere enthusiastici hi versus sunt:

Euhoe recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur, euhoe parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrso!

XI) EVCHARISTICE.

I 36: *Et ture et fidibus iuvat etc.*

(Eucaristice ad Numidam amicum Lamiae redeuntem *Fλ*, Eucharistice Lamiae Numidae amico loquitur redeunti *γ*).

Nimirum hoc carmine poeta dis custodibus Pomponi Numidae amici gratias agi pro salute eius iubet, qui sospes in patriam redierit, idemque epulas amico parat.

XII. XIII) EVCTICE. PROSEVCTICE.

I 30: *O Venus, regina Cnidi Paphique etc.*

(Eutice ad Venerem pro Glicera (*γ* add. meretrice) *Fλγ*).

I 31: *Quid dedicatum poscit Apollinem etc.*

(Eutice ad Apollinem ipsi sacrificans vitae praesentis statum *Fλ*, Eutice ad Apollinem *γ*).

I 35: *O diva, gratum quae regis Antium etc.*

(Proseutice fortunam invocat quae colitur Antii *Fλγ*).

III 18: *Faune, nympharum fugientum amator etc.*

(Proseutice in Faunum deum agrestem *Fλγ*).

IIII 6: *Dive, quem proles Niobea magnae etc.*

(Apollinis laudem refert (Apollinen laudat *γ*) quoniam servavit Aenean auctorem originis Romanae proseutice tetracolos *ABλγ*).

IIII 3: *Quem tu, Melpomene, semel etc.*

(De se referens virtutes poetices (poeticas λ) prosequitur ad Melpomenen (Melfomenen *A*) Musam proseutice tetracolos *A*λ, Proseutice tetracolos de se referens et virtutes poeticas prosequitur ad Melpomenem Musam γ).

* IIII 1: *Intermissa, Venus, diu etc.*

(Allegoricos a se (a se *om.* λ) affirmat ex intermisso scribi carmina ad Venerem eutice erotice dicolos (dicopos *B*) *AB*λ; item γ, sed praeposito: ad Fabium Maximum).

III 13: *O fons Bandusiae splendidior vitro etc.*

(Proseutice in fontem Bandusinum qui est in Sabinis *F*λγ).

I 2: *Iam satis terris nivis atque dirae etc.*

(Proseutice tetracolos ad Augustum (divum Augustum λ) *F*λτ).

IIII 5: *Divis orte bonis, optume Romulae etc.*

(Ad Augustum de expeditione eius tarda orat, paeanis species proseutice tetracolos *AB*. — Ad Caesarem Augustum absentem de expeditione eius tarda oratio peanis speties proseutice tetracolos λ. — Ad Augustum de expeditione eius proseutice tetracolos γ). cf. supra p. 27 sq. 'paean'.

* I 3: *Sic te diva potens Cypri etc.*

(„Proseuctice" Diomedes; Prosphonetice dicolos Virgilii *F*λ; add. λ: aliter navem prosequitur qua Virgilius vehebatur).

*III 23: *Caelo supinas si tuleris manus etc.*

(Proseutice monocolos Phidile (Phillide φ) *F*, Proseutice monocolos Fidile rusticam λ, Prosphonetice monocolos ad Phidilen rusticam γ).

II 5: *Nondum subacta ferre iugum valet etc.*

(Eutice ad sodalem per allegoriam vero dicit omnia ad Lalagen virginem *F*, Eutice ad sodalem per allegoriam dicit omnia non esse properandum ad virginis osculum λ).

In his carminum I 30. 31. 35. III 18 inscriptiones bene argumentis conveniunt; ubique enim deus aliquis invocatur. Idem valet de carmine IIII 6 quo et laudes Apollinis continentur et preces (vs. 26—28: *Phoebe, qui Xantho lavis amne crines, Dauniae defende decus Camenae, levis Agyieu!*). Carmine III 13 fonti Bandusino sacrificium laudesque carminis

promittit poeta; IIII 3 Musa non tam invocatur quam celebratur. Contra IIII 1 initium solum ansam inscriptionis quae est „euctice“ dedisse videtur *(Intermissa, Venus, diu rursus bella moves? parce, precor, precor.)*. Reliqua adeo non concinunt, ut „euctice“ videri possit non esse nisi dittographia alterius notationis cum qua in libris iungitur „erotice“. Quod I 2. IIII 5, quibus poeta Caesarem Augustum adloquitur ac praedicat, eucticae inscribuntur: per utrumque carmen Augusti numen divinum coli facile intellegimus.

Attamen carmen I 3 „proseuctice“ ab uno Diomede non recte videtur appellari; neque enim ad deos verum ad navem spectant preces *(Virgilium finibus Atticis reddas incolumem, precor, et serves animae dimidium meae)*, neque inde potissimum carminis argumentum definiri poterat. Equidem nescio an „propemptice“ apud Diomedem legendum sit. *Fλ* hoc loco exhibent: „prosphonetice“. Mira est notatio eadem carmini III 23 addita, ubi *γ* „prosphonetice“ praebet: agitur de Laribus Phidylae sacrificiis placandis, nec vero Lares invocantur. Denique carminis II 5 inscriptio quin corrupta sit nullus dubito: pro „euctice“ emendandum est „erotice“. De I 3 et III 23 cf. etiam „prosphonetice“.

XIII) HYPOTHETICE.

II 16: *Otium divos rogat in patenti etc.*

(Ypotetice Grospho ostendens quam iocundum sit otium. MS (sic) *Fλ*, Yponetice Grospho Pompeio *γ*).

*II 18: *Non ebur neque aureum etc.*

(Paranetice vel ypotetice de continentia qua paupertatem suam divitiis praefert *Fλ*, Paranetice vel ypotice ad Varum *γ*).

III 16: *Inclusam Danaen turris aenea etc.*

(Ypotetice Mecenati *Fλ*, Ad Mecenatem hypothetice *γ*).

I 15: *Pastor cum traheret per freta navibus etc.*

(Ypotetice tetracolos ad Alexandrum *Fλ*, Ypothetice tetracolos ad Paridem Alexandrum sub cuius persona exponit imminentia Ilio *γ*).

*III 27: *Impios parrae recinentis omen etc.*

(Ad Galatheam ypothetice *ABτ*, Prosphonetice ad Gala-

team sui non esse memorem *Fλ* (sim. *π*), Prosphonetice ad Galathiam sui non esse inmemorem *γ*).

I 6: *Scriberis Vario fortis et hostium etc.*

(Ypotetice tetracolos ad Agrippam excusatio cur de rebus non scribat *F*, Hypothetice tetracolos ad Agripam *λ*).

Carminibus quae sunt II 16. 18. III 16 Horatius paupertatem et continentiam divitiis praeferendam esse monet, et cum carminibus II 16 et III 16 certas adloquatur personas Grosphum et Maecenatem, II 18 lectoribus omnibus scripsisse videtur. Quae recte hypotheticae nominantur. De dittographia II 18 vide „paraenetice". Etiam I 15 monita continet: Horatius enim Nerea facit Paridem monentem et Ilii fata vaticinantem. III 27 verba propemptica continet Galatheae amatae ita dicta, ut narratione intexta de Europa olim Oceani periculis perterrita, deinde ad summa gaudia evecta eam et dehortari velle videatur et consolari. Unde explicatur epitheton: quamquam argumentum carminis totum iocosum potius intellegendum est, cum similem fortunam poeta puellae tecte promittat atque Europe adsecuta sit. Potest tamen, qui scripsit „hypothetice", etiam ipso exitu carminis adductus esse:

. . . . 'apstineto'
dixit 'irarum calidaeque rixae,
cum tibi invisus laceranda reddet
cornua taurus.
uxor invicti Iovis esse nescis:
mitte singultus; bene ferre magnam
disce fortunam: tua sectus orbis
nomina ducet'.

codd. *Fλγ* exhibent „prosphonetice", de qua voce infra dicetur.

I 6 vero quo iure hypothetica nominetur, prorsus non adsequor: quo carmine Flaccus sese imparem esse rebus ab Agrippa gestis carmine celebrandis exponit.

XV) PARAENETICE.

*II 3: *Aequam memento rebus in arduis etc.*

(Paranetice immo symboleutice (simboleutice *γ*) Dellio *Fγ*, Paranetice symboleutice Dellio. Dellium alloquitur adque

cohortatur eum ad equitatem animi et voluptatem quoniam mors sequutura obnubet omnes λ).

I 4: *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni etc.*

(Paranetice dicolos Sestio Quirino qui et Festus dictus est *F*, Paranetice dicolos ad Sestium Quirinum λ).

I 7: *Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen etc.* (Paranetice dicolos ad Plancum *F*,.... Paranetice dicolos Planco λ). Firmatur epitheto hoc adscripto Porphyrionis adnotatio, quocum consentiunt Diomedes et Marius Victorinus, continuari septimam oden ea quae in codicibus separata sequitur. Porphyr. schol. ad I 7, 15: „*Albus ut obscuro deterget nubila caelo saepe Notus.* hanc oden quidam putant aliam esse, sed eadem est; nam et hic ad Plancum loquitur, in cuius honorem et in superiore parte Tibur laudavit. Plancus enim inde fuit oriundus").

I 9: *Vides ut alta stet nive candidum etc.*

(Paranetice ad Thaliarchum puerum speciosum *F*, Paranetice tetracolos ad Thaliarcum-puerum γ, Paranetice tetracolos ad Taliarcum puerum spetiosum de voluntatibus λ).

I 18: *Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem etc.*

(Paranetice monocolos ad Varum *F*λ; add. λ: Quintilium. — Paranetice monocolos Quintilio Varo summam dicens vini sed cum modo voluptatem γ).

*II 18: *Non ebur neque aureum etc.*

(Paranetice vel ypotetice de continentia qua paupertatem suam divitiis praefert *F*λ, Paranetice vel ypotice ad Varum γ).

III 12: *Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci etc.*

(Paranetice ad Neobulen (Neubulen ψ) suavem vitam non esse sine iucunditate et amore *F*λ, Paranetice ad Neobulem γ).

*III 29: *Tyrrhena regum progenies, tibi etc.*

(Ad Maecenatem paraenetice (paraetice *A*) *AB*, Prosphonetice paranetice Mecenati γ, Prosphonetice Mecenati *F*λ).

IIII 7: *Diffugere nives, redeunt iam gramina campis etc.*

(Ad Manlium Torquatum de mortalitate refert enim

omnia mutari momento temporis paraenetice (paranetice *Aγ*) tetracolos (om. *γ*) *ABλγ*).

I 14: *O navis, referent in mare te novi etc.*

(Paranetice tetracolos ad Brutum *Fλ*).

I 33: *Albi, ne doleas plus nimio memor etc.*

(Paranetice tetracolos (om. *γ*) ad Albium Tibullum (Bullum *Fλ*) consolatur dolentem quod neglegatur a scorto *Fλγ*).

II 9: *Non semper imbres nubibus hispidos etc.*

(Paranetice consolatio ad Valgium Rufum ne diu doleat *Fλ*, Valgium consularem amicum consolatur paranetice tetracolos *γ*).

* II 17: *Cur me querellis exanimas tuis? etc.*

(Ad Mecenatem paranetice tetracolos *τ*, Symboleutice ad Mecenatem *Fλ*, Paranetice vel simboleutice ad Mecenatem *γ*).

IIII 12: *Iam veris comites, quae mare temperant etc.*

(Veris descriptio est ad Virgilium quod tempus in (om. *λ*) mortalibus est (sit *B*) gratissimum paraenetice (paraentice *B*, paranetice *λγ*) tetracolos *ABλγ*).

I 17: *Velox amoenum saepe Lucretilem etc.*

(Paranetice [Tindaridi add. *γ*] agri Sabini laus et montis Lucretilis *Fλγ*).

III 17: *Aeli vetusto nobilis ab Lamo etc.*

(Paranetice Aelio Lamiae (Lamio *Fλ*) *Fλγ*).

*III 28: *Festo quid potius die etc.*

(Ad Lyden paraenetice (paranetice *Aγ*) de Neptunalibus *ABγ*, Syllogistice Lydae (Lydie *λ*) *Fλ*).

*II 20: *Non usitata nec tenui ferar etc.*

(Paranetice se inmortalem futurum et in cignum convertendum ait *Fλ*, Ad Mecenatem allegorice tetracolos (rell. om. *τ*) vel paranetice sibi *γτ*).

III 14: *Herculis ritu modo dictus, o plebs etc.*

(Paranetice civibus in Augustum (rell. om. *γ*) victorem ex Hispania redeuntem *Fλγ*).

III 21: *O nata mecum consule Manlio etc.*

(Paranetice ad amphoram *Fλγ*).

*IIII 13: *Audivere, Lyce, di mea vota, di etc.*

(Compotem se voti sui factum esse dicit (om. $A\gamma$) quod Lyce anus facta sit paranetice (parentice *B*) tetracolos $AB\lambda\gamma$. μεμπτικὴ παραινετικὴ e vetusto Gemblacensi suo rettullit Pulmannus).

Plerisque quae ita inscribuntur carminibus adhortationes continentur sive universae quaedam sive ad certam rem spectantes. Sunt carmina quibus poeta homines cohortetur, ut vita vel amore laeto atque aequo animo fruantur (II 3 quo in carmine paraeneticum principium notandum. I 7. 9. 18. II 18. III 12. 29. IIII 7); alia sunt quorum argumenta non sententia in universum prolata definiantur, sed quibus Horatius vel admoneat aliquem (I 14) vel consoletur (I 33. II 9. 17) vel invitet (IIII 12. — I 17. III 17. 28). Quo ex numero I 14. 33. II 9. 17 vere paraenetica sunt. Carmen IIII 12 in fine exhibet adhortationem:

verum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor, dum licet, ignium
misce stultitiam consiliis brevem:
dulce est desipere in loco.

Contra in carminibus I 17. III 17. 28 cohortatio nulla est; neque enim invitatio per se παραίνεσις dici potest. Praeterea sunt alia ab iis quae diximus argumentis remota: II 20 ubi „allegorice" rectius $\gamma\tau$, III 14. 21. IIII 13. Carmen II 20 qui paraeneticum dixit non animadvertit nisi stropham ultimam:

absint inani funere neniae
luctusque turpes et querimoniae:
compesce clamorem ac sepulcri
mitte supervacuos honores.

Neque magis III 14. 21, nedum IIII 13 ullum habent indicium παραινέσεως: ita ut aut ad aliam notionem perperam detorta esse vox „paraenetice" dicenda sit[1], aut corrupta ex „prosphonetice": id quod mihi maxime in carmine IIII 13 praeferendum videtur.

Duplices significationes praebent tituli carminum II 3. 17. 18. 20. III 29 (IIII 2?) ex diversa codicum memoria ortas. Atque utrum II 3. 17 „symbuleutice" an „paraenetice" probetur,

[1] Ad eandem atque vox „prosphonetice" de qua vid. infra.

perinde est. Certe de illo discrimine inter duas illas voces, quod Syrianus (schol. in Hermog. ap. Walz. rhett. Graec. IIII p. 763, 6 v. supra p. 25) statuit, cogitari non potest. Immo hoc ponere licet symbuleuticen idem significare quod paraeneticen, nisi quod paullo graviorem vim habeat. Non aliter res se habet II 18 in vocabulis „hypothetice" et „paraenetice". Carmini III 29 nota „paraenetice" (*AB*) aptior est quam „prosphonetice" (*Fλ*), II 20 „allegorice" in *τ* rectius legi quam „paraenetice" in *Fλ* (utrumque ut in III 20 coniungit *γ*) iam notavimus. De inepto carminis III 28 titulo „syllogistice" infra dicendi locus erit. IIII 13 μεμπτική, si modo in codice Gemblacensi aeque atque in antiquioribus editionibus lectum est, omnino praestat alteri notioni.

XVI) PROSPHONETICE.

*I 3: *Sic te diva potens Cypri etc.*

(Prosphonetice dicolos Virgilii *Fλ*; add. *λ*: aliter navem prosequitur qua Virgilius Athenis vehebatur. — „Proseuctice" Diomed.)

I 5: *Quis multa gracilis te puer in rosa etc.*

(Prosphonetice tetracolos ad Pyrram *Fλ*).

*I 12: *Quem virum aut heroa lyra vel acri etc.*

(Prosphonetice tetracolos hymnos *F*, Prosphonetice tetracolos ymnus de laudibus deorum et hominum *γ*, Prosphonetice tetracolos hymnos de laudibus deorum atque hominum *λ*).

I 20: *Vile potabis modicis Sabinum etc.*

(Prosphonetice ad Mecenatem invitans eum ad vinum *Fλ*).

I 32: *Poscimur. si quid vacui sub umbra etc.*

(Prosphonetice ad lyram (cett. om. *Fλ*) de carminibus suis *Fλγ*).

I 37: *Nunc est bibendum, nunc pede libero etc.*

(Prosphonetice ad sodales. Augusti Caesaris victoriam Alexandrinam describit *Fλγ*).

I 38: *Persicos odi, puer, apparatus etc.*

(Prosphonetice ad puerum (puerum suum *γ*) pro simplici apparatu convivii *Fλγ*.)

*II 2: *Nullus argento color est avaris etc.*

(Prosphonetice tetracolos Salustio Crispo ius libertatis

extollenti γ, Ad Sallustium Crispum encomiastice tetracolos *AB*, Dicane ad Sallustium Crispum quod (om. π) ius liberalitatis extollit gratia $F\lambda\pi$).

* II 4: *Ne sit ancillae tibi amor pudori etc.*

(Prosphonetice alloquitur sodalem suum Foceum monens ne deserat concubinam suam Phillidem appetens talem qualis fuit Xanthia $F\lambda$, Prosphonetice ad Xanthiam sodalem genere Foceum ancillam amare crimen non esse γ, Ad Xanchiam Traliptam ancillam amare crimen non esse protreptice tetracolos τ).

II 6: *Septimi, Gades aditure mecum et etc.*

(Prosphonetice Septimio *F*, Ad Septimium prosphonetice (prospenetice τ) tetracolos $\gamma\tau$ al.).

* II 7: *O saepe mecum tempus in ultimum etc.*

(Ad Pompium Varum proponetice tetracolos τ, Pracmatice vel prosphonetice tetracolos ad Oratium Pompium consodalem γ, Pragmatice ad Horatium Pompilium commilitonem Brutianum quem receptum in patria invitat $F\lambda$).

II 12: *Nolis longa ferae bella Numantiae etc.*

(Ad Mecenam prosphonetice tetracolos τ).

II 14: *Eheu fugaces, Postume, Postume etc.*

(Prosphonetice tetracolos ad Postumum de celeritate vitae γ).

III 11: *Mercuri, nam te docilis magistro etc.*

(Prosphonetice Mercurio lyraeque $F\lambda\gamma$).

* III 23: *Caelo supinas si tuleris manus etc.*

(Prosphonetice monocolos ad Phidilen rusticam γ, Proseutice monocolos Phidile $F\lambda$; add. λ: rusticam).

* III 29: *Tyrrhena regum progenies, tibi etc.*

(Prosphonetice Mecenati $F\lambda$, Prosphonetice paranetice Mecenati γ, Ad Maecenatem paraenetice (paraetice *A*) *AB*).

* III 27: *Impios parrae recinentis omen etc.*

(Prosphonetice ad Galateam sui non esse memorem $F\lambda$ (sim. π), Prosphonetice ad Galathiam sui non esse inmemorem γ, Ad Galatheam ypothetice $AB\tau$).

* IIII 4: *Qualem ministrum fulminis alitem etc.*

(Ad urbem Romanam (Romam γ) de indoli (indole γ) ducum prosphonetice encomiastice tetracolos $AB\lambda\gamma$; add. λ: in Drusi Neronis virtutem).

Satis liquet prosphonetices vocabulum in Horatii codicibus non eam habere propriam significationem quam apud rhetores habet [1], cum illorum carminum nullo neque ipsum Caesarem neque magistratum adloquatur. Praeterea argumenta carminum nihil certi ad vocis significationem circumscribendam afferunt: sunt enim satis diversi generis. Itaque invenimus praecepta monitaque (I 38. II 2. 14. III 29), laudes deorum hominumque (I 12. IIII 4), artis suae laudes (I 32), preces (III 11), invitationem (I 20), lusus ludificationesque (I 5. II 4), verba propemptica (I 3. III 27), gaudia publica privataque (I 37. II 7), varia alia; quare vim huic voci satis amplam quin attribuamus facere non possumus. Quamvis enim diligenter quaeramus, qua ratione singulis carminibus adlocutio (προσφώνησις vel προσφώνημα) fiat, non ita multum proficimus. Equidem quae eruere mihi visus sim, paucis afferam.

Atque hoc quidem constat fere omnium eorum quae inscribantur prosphonetica carminum ipso initio personam aliquam diserte appellari vel indicari. Quod quo melius ante oculos poneretur, carminum principia adscripsi:

I 3: *Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenae, lucida sidera, Ventorumque regat pater Obstrictis aliis praeter Iapyga, Navis, quae etc.* || I 5: *Quis multa gracilis te puer in rosa Perfusus liquidis urget odoribus Grato, Pyrrha, sub antro?* || I 12: *Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare, Clio etc.* || I 20: *Vile potabis modicis Sabinum* .... vs. 5: *care Maecenas etc.* || I 32: *Poscimur. si quid vacui sub umbra Lusimus tecum, quod et hunc in annum Vivat et pluris, age dic Latinum, Barbite, carmen.* || I 37: *Nunc est bibendum, nunc pede libero Pulsanda tellus, nunc Saliaribus Ornare pulvinar deorum, Tempus erat dapibus, sodales.* || I 38: *Persicos odi, puer, apparatus etc.* || II 2: *Nullus argento color est avaris Abdito terris, inimice lamnae Crispe Sallusti etc.* || II 4: *Ne sit ancillae tibi amor pudori, Xanthia Phoceu etc.* || II 6:

[1] cf. Menand. περὶ ἐπιδεικτικῶν III 414, 32 Speng. v. supra p. 24.

Septimi Gades aditure mecum etc. || II 7: *O saepe mecum tempus in ultimum Deducte Bruto militiae duce, Quis te redonavit etc.* .... vs. 5 *Pompei, meorum prime sodalium etc.* || II 12: *Nolis longa ferae bella Numantiae etc.* .... vs. 11 *Maecenas, melius etc.* || II 14: *Eheu fugaces, Postume, Postume etc.* || III 11: *Mercuri, nam te etc.* || III 23: *Caelo supinas si tuleris manus Nascente luna, rustica Phidyle etc.* || III 29: *Tyrrhena regum progenies, tibi Non ante verso lene merum cado Cum flore, Maecenas, rosarum etc.*

Duobus tantum carminibus adlocutio diserta in ipso initio carminis non invenitur III 27 et IIII 4; altero enim poeta inde a decimo tertio versu Galatheam *(sis licet felix, ubicumque mavis, et memor nostri, Galathea, vivas)*, altero a tricesimo septimo demum urbem Romam *(Quid debeas, o Roma, Neronibus)* adloquitur. Ceterum utrique carmini altera quoque eaque aptior addita est in codicibus notatio (III 27 hypothetice *ABτ*, IIII 4 encomiastice in *ABλγ* per dittopraphiam voci „prosphonetice" additum); idemque valet de I 12 (hymnos *Fλγ*, et id quoque per dittographiam), II 4 (protreptice *τ*), III 29 (paraenetice *ABγ*). Quae vero notae in aliis codicibus adduntur carminibus II 2 (encomiastice *AB*, dican[ic]e *Fλπ*), 7 (pragmatice *Fλγ*, quod in *γ* iungitur voci „prosphonetice"), III 23 (proseuctice *Fλ*) significatione quae est „prosphonetice" etiam ineptiores habendae sunt. Diomedis testimonium, qui carmen I 3 proseucticen inepte sane appellat, iam attuli.

Quodsi conceditur in plerisque horum carminum adlocutionem disertam extare, certo etiam maior numerus est similium carminum, quae licet eodem loco adlocutionem habeant, tamen aliis notationibus variis designentur. Sunt autem haec[1]: I 1 Pragmatice. 6 Hypothetice. 8 Erotice. 9 Paraenetice. 10 Hymnus. 11 Pragmatice. 13 Erotice. 14 Paraenetice. 16 Palinodia. 18 Paraenetice. 21 Hymnus. 23 Lerke. [28.

[1] Eius generis carmina si quae omnino inscriptione Graeca carent, uncis inclusa adposui.

29]. 30 Euctice. 33 Paraenetice. 35 Proseuctice. || II 3 Paraenetice. Symbuleutice. 8 Prosagoreutice. [10. 13]. 17 Paraenetice. Symbuleutice. || III [2. 4. 6. 7]. 9 Antapodotice. [10]. 13 Proseuctice. 14 Paraenetice. 15 Mentice. 17 Paraenetice. 18 Proseuctice. [20]. 21 Paraenetice. 22 Hymnus. 25 Hymnus || IIII 1 Euctice Erotice. 3 Proseuctice. 5 Paean Proseuctice. 6 Proseuctice. [9]. 10 Erotice. 13 Paraenetice.

Ne ex personis quidem vel rebus quas poeta adloquitur ad quaestionem solvendam quicquam proficimus. Adloquitur enim deos carminibus I 12. III 11, urbem Romam IIII 4, Vergilii navem I 3, barbitum I 32, ceteris omnibus homines.

Itaque hoc mihi statuendum esse videtur: prosphonetica videlicet carmina ea tantum appellata esse, quae disertam adlocutionem continerent, sed ad notationem tam inanem tum demum confugisse eos, qui inscriptiones addiderunt, si alterum epithetum idoneum praesto non esset. Certe multorum Horatii carminum ea est et rerum et sententiarum copia, ut uno verbo totius carminis indoles definiri non facile possit. Ac nonnunquam accidit, ut adlocutione obvia contenti aptiorem significationem non diu quaererent, sed carmen appellarent prosphoneticum.

XVII) ALLEGORICE.

*II 20: *Non usitata nec tenui ferar etc.*

(Ad Mecenatem allegorice tetracolos $\gamma\tau$; add. γ: vel paranetice sibi. — Paranetice se inmortalem futurum et in cignum convertendum ait $F\lambda$).

Carmen allegoricum est, cui inepte in $F\lambda$ praescribitur „paraenetice".

XVIII) ANTAPODOTICE.

III 9: *Donec gratus eram tibi etc.*

(Ad Lidyam meretricem antapodice γ, Antapodotice F, Antopodotice ad Lydiam et Lydiae ad se π).

Inscriptio eo spectat quod alternis cantant Horatius et Lydia.

XVIIII) APOTELESTICE.

III 30: *Exegi monumentum aere perennius etc.*

(Ad Melphomenem Musam dicit apotelestice scriptis semper victu[rum] λ, Dicit se apotelestice scriptis semper victurum *F*).

Vocabulo „apotelestice" exprimitur nihil nisi hac ode libri (vel trium librorum) extrema iam perfectum absolutumque esse novae artis Horatianae opus. Ceterum ea vox cum parum intellecta sit, praescriptis inepte inserta est ita, ut adverbii loco fungeretur.

Difficillima quaestio est de voce quae est

XX) PRAGMATICE, qua inscribuntur:

I 1: *Maecenas atavis edite regibus etc.*

(Aemilium ad Maecenatem vario hominum scribit officio pragmatice monocolos *B*).

II 1: *Motum ex Metello consule civicum etc.*

(Ad Asinium Pollionem consularem virum pracmatice tetracolos γ).

III 1: *Odi profanum volgus et arceo etc.*

(Pracmatice ad indoctos *F*, Ad chorum virginum et puerorum pracmatice ad indoctos λ).

I 11: *Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi etc.*

(Pracmatice ad Leuconoem meretricem genesim per mathematicam requirentem *F*, Pracmatice monocolos ad Leuconoen (cett. om. λ) suadens mathematicam omitendam γλ).

*II 7: *O saepe mecum tempus in ultimum etc.*

(Pragmatice ad Horatium Pompilium commilitonem Brutianum quem receptum in patria invitat *F*λ, Pracmatice vel prosphonetice tetracolos ad Oratium Pompium consodalem γ, Ad Pompium Varum proponetice tetracolos τ).

Vox quae est πραγματικός varias et valde inter se diversas significationes habet, neque vero ulla earum docemur, qua ratione pragmatices vocabulum illis carminibus praepositum accipiendum sit.[1] Πραγματικὰ μέλη Proclus commemorat

[1] cf. Hermog. περὶ τῶν στάσεων 2 (Spengel. II 139, 10 sqq.). Apsin. περὶ

etsi eis verbis, quae nobis non sufficiant: *πραγματικα δὲ* (scil. *μέλη*), *ἅ τινων περιέχει πράξεις.*[1] Atqui illa quae pragmatica inscribuntur carmina Horatiana minime res gestas tractant, neque omnino eis argumentum idem est. Qua de re facere non possumus, quin ad coniecturam confugiamus. Accuratius enim si inquirimus in horum carminum argumenta, intellegimus easdem fere cogitationes expressas esse carminibus I 1. II 1. III 1. Nam carminibus I 1 et III 1 diversa hominum studia ac fortunas persequitur suamque cum eis artem musicam, suam vitae continentiam et aequitatem comparat; carmine II 1 vero postquam Asinium Pollionem adlocutus de historia belli civilis scribenda verba fecit, suam Musam grandia carmina detrectare fatetur:

sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae,
mecum Dionaeo sub antro
quaere modos leviore plectro.

Studia igitur artesque ac mores hominum sollemni modo ita persequitur, ut suum studium, suam artem, suum vivendi consilium ceteris opponat, nec fortuito fit, quod haec tria carmina in suo quodque libro primum locum obtinent, quo quasi fundamento poeta doceat, quid sibi in carminibus componendis proposuerit. Hac ipsa re adducimur ut coniectemus pragmatices vocabulum de eis dici, quibus argumenta ipsaque principia vitae et artis continentur, et ad ipsa prooemia pertinere. Atque cum alioqui nihil inveniamus quod ad hanc coniecturam valeat firmandam, exoptatum nobis auxilium fert locus quem in Demosthenis scholiis, quae sub Ulpiani nomine feruntur, legimus: *Ἡ λύσις* — ait — *τῶν ἀντιπιπτόντων καὶ ἡ σπερματικὴ τῶν κεφαλαίων ἐπαγωγὴ πραγματικὸν ποιεῖ προοίμιον.*[2] Fortasse igitur hoc vocabulum ab

---

ἐπιλόγου (Sp. I 384. 19). Iul. Vict. 3, 5 (Halm. rhett. min 379, 3). Empor. de ethopoeia (Halm. 562, 26)

[1] Procl. Chrestomath. 29 (Gaisford I 355, 7).

[2] Ulpiani comm. in Demosth. ed. Dindorf. Orat. Olynth. I. Simile aliquid affert Hermogenes (*περὶ εὑρέσεως* I *περὶ τῶν ἐξ ὑπολήψεως προοιμίων* Spengel. II p. 177, 6 sqq.): *Ἡ πρώτη καὶ καλλίστη τῶν προοιμίων εὕρεσις*

usu rhetorum in artem poeticam translatum est, eaque carmina ita appellata sunt, quae tamquam fundamenta totius libri in fronte legerentur. Atqui eam coniecturam si probamus, facere non possumus quin carminum I 11 et II 7 inscriptiones ineptas iudicemus. Veri simile autem est legendum esse in I 11 „paraenetice", aut „prosphonetice", in II 7 „prosphonetice", idque ipsum hoc quidem loco *τ* codex exhibet (cf. *γ*).

XXI) PROSAGOREVTICE.

II 8: *Ulla si iuris tibi peierati etc.*

(Prosagoreutice Iuliae (Iullae *F*, Iulliae *γ*) Barinae in meretricem rapacem ac periuram *Fλγπ*).

Quid hic „prosagoreutice" sibi velit, incertum est. Equidem dubito, utrum qui adscripsit invectionem sive vituperationem exprimi voluerit, an corruptum sit vocabulum et aliud legendum velut „catagoreutice".

Transgrediamur iam ad ea vocabula, quae corrupta tradita sunt.

XXII) LERKE.

I 23: *Vitas hinuleo me similis, Chloe etc.*

(Lerke [superscr. invectio] ad Cloem meretricem fugientem se *Fλ*). Kellerus propterea quod „invectio" superscriptum est, „lerke" natum esse ex „loedorike" coniecit. Atqui „loedorike" inepte vocaretur carmen iocosum quo blande allicit Chloen poeta. Haud sine veritatis specie aliquis coniciat initio scriptum fuisse „allegorice", illud autem quod est „invectio" voci corruptae postea per errorem superscriptum esse. Quo iure autem „allegorice" carminis argumento conveniat legenti facile apparet.

XXIII) MENTICE.

III 15: *Uxor pauperis Ibyci etc.*

(Mentice ad Chloridem *Fλγ*).

Apparet „mentice" corruptum esse ex „memptice".

καλλίστης καὶ πραγματικωτάτης εὑρέσεως τετύχηκε τῆς ἐκ τῶν ὑπολήψεων καλουμένης τῶν τε προσώπων καὶ τῶν πραγμάτων κ.τ.λ. .... τεθείσης γάρ τοι πάσης ὑποθέσεως ἀνασκοπεῖν ἄξιον πρῶτον τὸ πρᾶγμα [τὸ γεγενημένον] ὁποῖόν ἐστι, [καὶ] περὶ οὗ ἢ κρίσις ἢ τὸ βουλευτήριον συνέστηκεν (ἐν προβλήμασι γὰρ ἢ κρίνομεν ἢ βουλευόμεθα), δεῖ τοίνυν σκοπεῖν τὸ πρᾶγμα εἴτε καλόν ἐστιν εἴτε φαῦλον, εἶτα κ. τ. λ.

Vituperatur enim hac ode Chloris, quia „propior funeri“ rixas amoris et virginum ludos nondum relinquat. Atque 'μεμπτική' notionem cum 'παραινετική' coniunctam ad IIII 13 ex Gemblacensi vetusto refert Pulmannus.

XXIIII) DIASTOLICE.

III 19: *Quantum distat ab Inacho etc.*

(Diastolice ad Telephum Murenam augurio honoratum *Fλγ*).

Toto hoc carmine Horatius convivii magistrum agit, qui omnia instruit et imperat. Veri igitur non dissimile videatur diastolicen intellegendam carmen explicans, descriptivum — apparatus enim convivii per singula explanantur —: quamquam certi nihil de hac voce statui potest, quae nescio an corrupta sit.

XXV) SYLLOGISTICE.

*III 28: *Festo quid potius die etc.*

(Syllogistice Lydae (Lydie λ) *Fλ*, Ad Lyden paraenetice (paranetice *Aγ*) de Neptunalibus *ABγ*).

Mira notatio est ac nullo modo ferenda. Fortasse legendum: „sympotice“.[1] Quae in *ABγ* fertur notatio ipsa quoque satis inepta est.

§ V.

Restat ut eorum quae eruimus summam faciamus.

Atque vocabulorum de quibus egimus maximam partem vidimus notationes esse coloris expertes et fere inanes quaeque ad veram naturam carminis cognoscendam prorsus nihil valerent — quales sunt „prosphonetice“ „paraenetice“ cet. —, easdemque saepe carminum veris argumentis atque sententiis neglectis ex paucis versibus temere arreptas esse. Neque mirum est in ipsa Horatiana carmina tales significationes non quadrare: quae carmina adeo abundant sententiarum copia et varietate, ut paucissimorum indoles eiusmodi vanis epithetis definiri possit. Hinc fieri non potuit, quin multis carminibus epitheta adderentur, quae diligenter examinanti plane inepta

[1] Epigrammata sympotica extant (Duebner. Epigr. Anthol. Graec. II p. 285).

viderentur. Porro facile accidit, ut de appellandis carminibus sententiae diversae proferrentur et ab ipso initio carmina aliter ab aliis inscriberentur. Quo pertinent et discrepantiae, quae in codicibus nostris comparent (II 2. 4. 7. 17. 20. III 23. 27. 28. 29), et dittographiae, ubi duplex significatio in eodem codice additur (I 12. II 3. 7. 17. 18. 20. IIII 1. 4). Uno loco IIII 5 duplex significatio non tam variae memoriae quam accuratiori adnotationi deberi videtur (p a e a n i s s p e c i e s p r o s e u c t i c e). In universum autem ubi discrepat codicum in his notationibus memoria, aptiora exhiberi epitheta in τ et γ (de quo vid. p. 15 sq.), ad quos in libro tertio extremo accedunt AB, quam $F\lambda$, de II 2 (γ contra $F\lambda\pi$ et AB), II 4 (τ contra $F\lambda\gamma$), 7 et 20 ($\tau\gamma^1$ contra $F\lambda\gamma^2$), III 23 (γ contra $F\lambda$), 27 ($AB\tau$ contra $F\lambda\gamma\pi$), III 29 ($AB\gamma^2$ contra $F\lambda\gamma^1$) probavimus.

De tempore, quo grammatici carmina Horatiana interpretati sint ita, ut universum cuiusque carminis argumentum termino quem aiunt technico graecanico ex rhetorum potissimum supellectili desumpto circumscriberent, cum deficiant indicia neque id poetarum interpretandorum genus late patuisse videatur, certius nihil definiri potest: ante quarti saeculi initium id iam usu receptum fuisse Porphyrionis et Diomedis testimonia fidem faciunt. Hoc certum videtur s c h o l a s t i c a e carminum interpretationis, qualis inde ab exeunte primo p. Ch. saeculo coli coepta est, haec exempla agnosci. Itaque eis temporibus tribuenda erunt, quibus et in scholis assidua lectione pertractabantur carmina Horatiana et studia rhetorica iam illa nominum atque distinctionum copia parum fructuosa abundabant. Accuratiora de his fortasse proferre poterit, si quis m e t r i c a s notationes Graecas, quae plerumque cum illis epithetis coniunctae inveniuntur et ad eandem originem sine dubio revocandae sunt (monocolos, dicolos, tetracolos etc.) diligenter examinaverit metricorum scriptorum memoria variisque artis metricae generibus et temporibus in comparationem vocatis: quam quaestionem cum absolvere non possem utpote ab huius scriptionis consilio alienam, ne attingere quidem satius duxi.
